DEO OPT· MAX· VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ

ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS III. APRILIS,

( ) M· CLAVDIO LIENARD Doctore Medico, Præſide. ( )

An abſtemij edaciores? 1021.

SI cœleſte corpus homini à Natura contigiſſet, haudquaquam cibi potuſque neceſſitati manciparetur, at verò quia plurimum abeſt ab eiuſmodi corporis conſtitutione, eò ſors illius infauſta recidit; vt qui duntaxat ad imperandum natus eſſe videbatur, infimo & immaniſſimo cogatur ſeruire tyranno, gulæ ſcilicet, ad quam illum adigunt deſideria duo fames, & ſitis, inauſpicati vultures, à quibus ipſe ventri- culus appetentiæ ſedes tanquam Tytij jecur eroditur: hi debent aliquatenus expleri quò diutiùs ſuperſtites ſimus; nequeunt verò niſi cibis & potibus, citrà quæ homini longiſſimum vitæ tempus dies ſeptem, longè breuius, ſi ſolus ſuppetat potus: qui veloci indigent appoſitione iuſculis atque ſorbitionibus omninò reficiendi, qui velociori, potiſſimùm odoribus, quibus vis ineſt nutriendi, tanti nempè refert vt viuamus corporum noſtrorum indeſinentem effluxum aliquo pacto reſarciri, contemperarique calorem natiuum; quod vt commodiùs obtineatur ſingulis, partibus appetitus quidam in- ſitus eſt naturalis, quo citrà cognitionem ad ſuccum ſibi familiarem è ventriculo, velut ſtirpes è tellure, prolectandum incitantur: ſugunt illæ quod ſibi conueniens eſt alimentum è proximis primò partibus, hæ deinde ab aliis, nec ante ceſſat continuatus ille motus, quàm ad ventriculum vſque per hepar & venas peruentum ſit, ac tùm ventriculus eximio quidem ſenſu præditus, ex illo ſuctu moleſtiam perci- pit, & prout ſubſtantiæ ſolidæ vel humidæ major vrget neceſſitas; famem, aut ſitim ciet, vt ab hiſtribus concurrentibus, exhauſto, ſuctu, huiuſque ſenſu, fiat ciborum appetentia.

FAMES, quamdiu corpus intrà ſanitatis limites continetur, non plus alimenti aſſumendum ſuadet, quàm natura regere poteſt, ſunt tamen alij aliis edaciores, quod niſi morbo vertitur, immoderatiori ſub- ſtantiæ ſolidioris effluuio, ſuctui corporis vehementiori, exquiſitiori ventriculi totius ac præcipuè eius orificij ſenſui, natiuique caloris abundantiæ acceptum referri debet: Ita pueri quòd rarum nacti ſint cor- poris habitum, attractrice polleant eximiâ, ſtomachum teneriorem & apprimè ſenſilem obtineant, ſummâque natiui caloris vbertate luxurient, edaciſſimi ſunt; at quod melancholici ſint famelici, non iiſ- dem de cauſis accidit. Interdum citra partium exhauſtum ex morbo profecta fames oritur, cuiuſmodi eſt bulimos & canina, quæ niſi ab intemperie ventriculi calidâ, naſcitur, meri potu compeſcitur, in- terdum etiam polyphagia euenit ab animi vitio prauáque conſuetudine: fames autem naturalis, quæ neceſſariò exhauſtum ſequitur, nullis potioribus ſuperatur præſidiis, quàm pane & aquâ, quibus qui pau- cis adhibitis carnibus veſcitur, ſuam is adamat vitam.

SITIM, ipsâ fame multò toleratu difficiliorem, ita quidem extinguit potus, vt etiam domandæ fami plurimum conducat; an quod humorem alimentitium in vniuerſum corpus citiſſimè diſtribuit, & par- tibus ipſis applicat? An quòd humido potiſſimum oblectetur ſuſtenteturque calor natiuus? Vſque adeò naturæ noſtræ familiaris & amicus eſt humor, vt è quocunque potu per concretionem partibus ali- menti nonnihil accedat; iſtius concretionis, aquam vtcumque capacem reddit alienorum cum ipsâ corporum commixtio, ſed quamuis ipſa nutriat omnium tamen potuum minimùm partibus apponitur, hæc in ventriculum illapſa & alimentis permixta, ea quodam quaſi amicitiæ vinculo inter ſeſe colligat, bilem amarore ſuo ἔρεξιν deiecturam demulcet, natiuum calorem adauget, coctionem potenter adiuuat, chylum, quò commodiùs diſtribuatur, diluit, natiuâ ſua frigiditate ventriculum conſtringit, ſicque famem mirum in modum exacuit.

VT Vinum citiùs quàm aqua concreſcit; ita corpori faciliùs adhæret, magis nutrit, & partibus ipſis nutrimentum præbet perennius: idverò fert ſecum incommodi, quòd immodicè calefacit & exſicat, ca- lori natiuo negotium faceſſit, corpus quodammodo debilius efficit, ac velut tenue ſolum ſemina tenuiora parcioráque requirit, ita corpus quod mero indulget, copioſioris & calidioris alimenti eſt impatiens, chyloſim inſuper deteriorem & operoſiorem reddit, ventriculi fibras relaxat, humores fundit, vires reſoluit, eóque vna cum jecore quaſi ſiccâ tabe exucco reddito, non niſi vitioſi humores gignuntur, qui ad partes deducti earum robur infringunt: quamobrem languore nimio diſſolutæ commeatum ignauius attrahunt è ventriculo, qui vt ſugi ſe diuelliqué minùs ſentit, ita minùs ſegniuſque appetit.

CVM igitur à vino velut à veneno ſibi caueat abſtemius & meris gaudeat vndis, quorſum illi eſca delicatior? quid opus magno emptis gulæ irritamentis quibus capta præſtigiis appetentia longiùs protraha- tur? abſtemiis auro maza charior, illi præter famem edulcant omnia, quodcumque edulium in ſuum conuertunt commodum, nullum cibi genus auerſantur, tantum abeſt vt ad ipſum etiam lautiorum eduliorum intuitum faſtidioſi, nauſeabundi, vomiturientes miris ora modis diſtorqueant, vſque adeo iucundum eſt, & ſalubre ciborum condimentum fames, quæ quantò in vini potoribus tardior & re- miſſior eſt, tanto hydropotis promptior & vehementior, vel abſque ſale ſatis abſtemiis mollis ſapit lactuca, ſapit & quidquid in alimentorum cenſum vſus recepit, ſi modo illis è proximo fonte aut flumine petitus potus aliquantulum algidus (tepidum enim bibere nefas) admiſceatur; ita ſiquidem efficaciùs, quâm hauſto mero, cruda in ventriculo excoquuntur, calor eius natiuus intenditur, appetentia adau- getur, atque adeo ab excoctis eiectiſque citiùs alimentis iterum latrans atque implacabilis ſtomachus nouos expetit cibos, quos ſummâ auiditate prolectat, nec ſatis plerumque comminutos, inuitis præripit.

Ergo abſtemij edaciores.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS LE LETIER Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LIII.